



1. Bayze s: A. Ohregott Niv. / Diff:
de Sapientia Christi in Electione,
inflitutione atq; missione
Apostolorum, jene 1752.
2. de Balthasar s: D. jac: Henr. / Diff:
de Doctrina et Praxi in Pomerania
Iverica, circa Nuptias prohibitas
Gryphiswaldie 1752.
3. ————— Diff. de temporis plenitudine
Gryphiswaldie 1750.
4. Bardt s: D. ioh: fried: / Diff. de
applicatione homiletica, Lipsie
1752.
5. Baumgarthen s: D. Sigism: jac: /
Vindice vera et realis Corporis et
Sancti Christi in S. Coena presented
ab oppugnatiibus Benj: Headly Hale
1774


14

11

RECTORE ACADEM. MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE,
AC
DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
PRINCIPE HEREDE MECLENBURGICO,
VANDALORVM, SVERINI, AC RACEBVRGI, COMITE SVERINI,
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE
DOMINO,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

FESTVM NATALE
SOSPITATORIS NOSTRI IESV CHRISTI
INDICIT,
CIVIBVSQUE ACADEMICIS,
DE GLOBO NOSTRO TERRAQUEO,
PRAE
OMNIBVS MVNDI CORPORIBVS TOTALIBVS,
ΣΧΗΝΩΣΕΙ FILII DEI, NOBILITATO,
PAVCA COMMEN TATVS,
PIE, DEVOTEQVE CELEBRANDVM,
EX OFFICI RATIONE COMMENDAT
ACADEMIAE
PRO - RECTOR
IOAN. HENRICVS BECKER,
S. S. THEOL. D. ET P. P. O.

ROSTOCHII,
TYPIS IO. IAC. ADLERI, SERENISSIMI DVCIS AVLICI,
& ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



Redit, Ciues Honoratissimi! laetum illud & festiu[m]
tempus, quo ecclesia Christiana salutis fontem, &
initium, Εὐστάχου Filii Dei, pia recordatione recolit, &
publicis praeconii[us] persequitur. Filii Dei natalem celebramus;
depraedicamus aeterni Patris, filium mittentis, & pro nostra sa-
lute tradentis, summum amorem. Exosculamur Filii, gloriae
thronum cum praefepio, coelum cum terra, ut perditos nos ho-
mines ab aeterno exitio vindicaret, permutantis, Φιλαθρωπαν.
Cantamus inauditum mysterium, creatorem creaturam, Deum
hominum factum esse, eum in finem, ut perduelles nos, miser-
osque, in tenebris, Ο umbra mortis sedentes, *Luc. I. 79*, creatura-
rum suarum redderet felicissimos, sibi fratres, ισαγγελος, immo
sibi despontaret in aeternum. *Hos. II. 19.* *Ephes. V. 25.* Vbi,
quae[m] in toto uniuerso datur, ad tantum dignitatis fastigium,
post sanctos angelos, euecta creatura alia? Quaenam hanc
dignationem satis effari, lingua, aut v[er]bis laudibus secum repu-
tare mens poterit? Altius illud meditandum nobis commen-
dat.

dat ipse sospitator noster *Io. III. 16.* Adeo, inquiens, dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum dederit! Et *Ioanner. cap. I. 14.* mysterium Verbi substancialis incarnati, ratione fructus & finis, ad nos homines pertinere docens, multa complectitur dictione vnica: Εργάσασθε εν ιησού, habitauit internos! Quo ipso, quantus nobis, nostraeque telluri honoris character sit conciliatus, paucis ostendendum est.

Stupendum opus, & infinita Numinis maiestate, omnipotentia, ac sapientia dignum, mundi vniuersi machina est, *Pf. XIX. 1. sq. C XI. 2. 3. Jes. XL. 26. XLV. 12. Ecclesiastic. XLIIII. tot. Rom. I. 20.* non quidem prorsus infinitae, quod quidam volunt(a) & termini simpliciter expertis, imman-

A 2 sura-

- (a) **CARTESIUM**, & affectas, correctos olim a **VOETIO, LEYDECKERO &c.** dimitti. Non desunt hodie idem sentientes. Denatus non ita pridem Dn. Past. JO. HEYN scribit, *im Versuch über die Cometen &c. p. 9.* Mir kommt die Unendlichkeit der Welt am wahrscheinlichsten vor. Ich habe mir alle Mühe gegeben, der Welt in meinen Gedanken Grenzen zu setzen, es wolte sich aber keine Figur dazuschicken. Prodiit nuper rime tractatus poeticus, sub tit. *Die Natur der Dinge, in VI. Bäckern; cum Praef. Dn. Prof. Halens. GEORG FRID. MEIERI.* Autor latere, quam nomen profitari, maluit. Systema enim tradit, portentosis opinionibus referrum. Mundi etiam adsumit absolutam infinitatem: omnia unquam possibilia hoc mundo contineri, pluresque esse impossibilis, existimat. Verum, qui fines mundi nullos agnoscunt, immensitati Numinis detrahunt. Nec eos iuuat distinctione inter infinitatem dependentem, & independentem, quarum hanc Deo reseruant, illam mundo tribuunt. Quidquid enim huius rei sit, mundo tamen Deum includunt: quam potius Deus mundum, non mundus Deum, complectatur. *I Reg. VIII. 27. Jes. XL. 12. XLVII. 13. Job. XI. 8.* Creatum, & extensem esse, nec tamen finibus concludi, & absoluvi vilibi, impicit. Si Deus plures mundos, propter huius actualis infinitatem, spatii defectu, creare non posse, di-

surabilis tamen, & humano intellectui nec concipiendae, nec imaginandae extensionis. Tot continet corpora maxima molis, pluris adhuc ornamenti, totalia, quot marium littora habent arenae granula. Inter haec vniuersi non numeranda corpora, orbesque, terraqueus, quem nos homines incolimus, unus est, & talis, qui, si non existeret, vel et reliquorum numero periret, ne desideraretur quidem; in minimis etiam refertur, & respectu totius Vniuersi, velut monas, quamuis etiam ultra 5000 millaria germ. ambitu suo contineat, tota tamen sua latitudine quia nullam stellarum fixarum parallaxin obseruandam concedit, ceu punctum mathematicum, spectatur. Quapropter, licet sol, luna, stellaeque operam telluri praestare, in s. scriptura dicantur, Gen. I. 15. ad res etiam naturales adtentiores radiantium coeli globorum, si non plororumque, quorundam tamen, in terrae globum & sublunares omnis regni creaturas influxum, non possint inficiari, (b) non tamen, tot, tantaque coeli sidera,

non,
citur, omnipotentiae attributo laeditur. Tandem stellas, corporaque mundi cuncta Deus numerat, singulumque suo nomine euocat. Jes. XL. 26. Ergo eorum datur numerus non infinitus, sed terminatus; datur, vi consequentiae, etiam non infinita mundi extensio, sed terminata, quamvis nemini, nisi soli Deo, metienda.

(b) De stellarum fixarum influxu quaestio anceps est, & incerta. Cabballistarum adserta quis credat temere? Celeb. Dn. D. HEV-MANNVS, recensendo, in Actis Philos. Stück III. p. 501. sqq. JORDANI BRVNI, de monade, numero, & figura, de minimo, magno, & mensura, it, de innumerabilibus, immensa, & infigurabili, seu, de Vniuerso, & mundis libros Francof. 1591. editos, quorum etiam extractum dedit MORHOFIUS, in Polyhist. Tom. II. L. II. P. I. cap. XV. §. 1. & P. II. cap. IX. §. 5. aurorem adpellat hominem enthusiastam, cum ratione insanientem, Hermetici, qui sublimiorem sibi vindicant Philosophiam, & praecepue cosmologiam, ab astris, fere omnes, & ab astrorum vel remotissimorum, influxu, repetunt diuersam indolem ingeniorum, & temperamentorum humanorum, diuersas proprietates

non, nisi propter nostram tellurem, & in solum hunc, ut lucem nobis & influxum commoden, finem adesse, adfirmauerim. Nae: hoc qui contenderet, vix coelum vñquam oculis adspexisse, & sobria mente contemplatum, rerum etiam astronomiarum longe imperitissimum esse, pronunciarem. Planetarum enim, nostri duntaxat solaris systematis (eorum autem quis numerum inibit? si fixae stellae omnes soles sunt, regentes sua pariter orbium systemata) plures sunt, externo quidem adspectu, quantum armatus oculus detegere valet, telluri nostrae similes, eodemque & lumine & influxu solis gaudentes. His, qui in rebus astronomicis plane hospites sunt, quibusque Astronomorum scripta & obseruationes ignorantur, WILLIAM DERHAM Astrotheol, B. II. c. II. L. B. de WOLF *Absichten der natürl. Dinge*, P. I. c. VI. VII. Dn. FONTENELLE tractatum, germanice versum: *Gespräch von mehr, als einer Welt*, & Dn. BERNH. NIEU-

A 3

WETYT,

viresque arborum, plantarum, herbarum, animantium, mineralium, omniumque, quas terra producit ac alit, rerum. Verum, dicunt, non probant! Vetusissimorum Philosophorum idem hoc dogma fuisse, contestatur est, & supponitur CICERO-NI, de fato c. 4. & 5. Parum moderatus de astrorum influxu sentit B. D. WIRDIG, Medicus nostras, in paradoxo, exteris autem laudatissimo, libello: *de medicina spirituum*. L. I. cap. XXVI. Medium, dubio procul, viam incedit, cui hodierni Physici facile omnes in hac causa accendent, JO. CHRISTOPH. STURMIUS, in *Phys*, conciliatrice, p. 159. scribens: *Influxus solares in huic sublunarem mundum in vulgo sunt notissimi, neque dubium ullum, si fixae sint totidem quasi soles, ita plerisque non minus, aliquibus etiam plus, inesse virium, & efficaciae; sed nostris respectu aut sunt insensibiles, ob immensam istorum corporum distantiam, aut propter infinitam eorundem multitudinem, distinete nunquam perceptibles.* Genethliacorum, Astrologorumque artes, astrorum influxui superstruetae, sicuti suspecti multum, certi autem habuerunt parum, ita exoleuerunt hodie, & inter superstitiones, a quibus lacculum repurgandum pridem tuisset, merito referuntur.

WETYT Rechten Gebrauch der Weltbetrachtung, cap. XXV. tot. le-
gisse, & jucundum erit, & utile. Cuncta ista, quae ab astris
micantibus, soli nostro similibus, reguntur corpora opaca, seu
planetae, an nostrum terrae globum exæcta referant, an ei so-
lum sint analoga, concessa cuique sua indole, structura, & com-
page? quis arbitrabitur? Verissime enim Siracides, cap. XLIII.
33. *Multa, ait, occulta sunt majora his, paucia enim videmus operum Dei.* Et autor Lib. Sapient. cap. IX. 16. *Ægre, inquit, conjicimus ea, quae super terra, & quae sunt sub manibus, inuenimus cum labore; ea vero, quae in coelis, quis peruestigabit?* Nec tanta tantaeque multitudinis corpora inania, & creaturis vacua esse, mente praesumi, cumque sapientia diuina, sine fine & vsu nihil creantis, con-
ciliari facile posse, videtur.

Num autem haec corpora rationales habeant incolas? quæstio est, quam olim iam adfirmasse leguntur PYTHAGORAS, PLATO, pluresque ethnicorum Philosophi. Ad-
firmant etiam Cabalistæ, & qui Theosophorum titulum adfectant,
fere omnes. Hi non modo corpora mundi opaca rationalibus
variis generis incolis, sed etiam lueida igneaque coeli corpora,
immo totam expansi aetherei immensam regionem spiritibus,
corporibus mox aëreis, & aethereis, mox igneis vestitis, replent;
angelorum ordinibus vario excellentiae gradu distinctis, in
sphaeras, stellarum aera longe adhuc superiores, collocatis.
Recentiore aeuo, post COPERNICVM, non facile fuit astro-
nomus, aut mathematicus, qui dicta mundi corpora incolis ra-
tionalibus, suo voto, dixerim, an conjectura? non d'itauerit.
Tempore autem recentissimo, praeemuntibus NEVTONO,
BVRNETIO, WHISTONO, BAELIO, WOLFIO, eandem ten-
tentiam tota fere Philosophorum cohors, immo &, ad portatis
ornamentis aestheticis, Poëtae, founten, defendunt, amplificant.
Rei certitudinem, quum terricolarum nemo ad planetas, pla-
neticolarum nemo ad nostram terram, iter instituerit, cuiusdam
nemo dedit; sed hypothesis est, in opinione, & conjectura
haeret, eaque in se, coeterisque paribus, non improbabili. S.

Scriptu-

Scriptura hic plane filet, nec rationalium, praeter angelos, & homines, creaturarum mentionem ullibi iniicit: Interim ex illo silentio, quum scriptura cosmologiam ex instituto non tradat, sed ea praecipue, quae scitu nobis, terricolis quidem, ad salutem sunt necessaria; tutum pro absoluta negatione argumentum non ducitur. Nec hypothesis honori Numinis in se repugnat, potius maiestatis, potentiae, sapientiae eius conceptum mirifice amplificat, & extollit. Quo enim maior, & extensus civitas Dei, eo maior & extensus gloria Dei. Nec intellectui, & sapientiae, aut potentiae infiniti Creatoris, creaturarum, etiam rationalium, generibus πολυτελέσι variare, manus negotium facessit, quam genera, & species animantium, infuso, in aqua, in aere viuentium, arborum pariter & fructuum, herbarum & florum, aliorumque, quae vel sola fert nostra telus, maximè varia & dissimila producere. Fatendum tamen est, illam hypothesis in consecrariis suis difficultibus laborare longe maximis. (c) Non quidem adserimus, omnium ratione-

(c) Remanent enim semper quaestiones: an rationalis illi cosmopolitae lege careant? an libere agant, an ad cunctas actiones sint per creationem determinati? an cum imagine diu: sint creati, an vivant in statu purorum naturalium, ad bonum & ad malum aequi indifferentes? si liberi, anne de libertatis yisu a Deo sint, peraeque ac angeli, ac primi homines, probati? an in resto persistirint, nec ne? an aliqui, an omnes? si persistirunt omnes, an casu id factum sit; an vero majores, quam angeli & homines, per creationem, vires acceperint? si aut omnes, aut quidam lapsi, an simpliciter reiecti, an mediatorem naecti sint? Si mediatorem redemptoremque naecti, an eundem, quem nos homines, an aliud habeant? si aliud, unde hoc possibile sit? quum minoris pretii λύθη, quam ipse sanguis filii Dei, diuinæ justitiae pro nobis non sufficerit? Si eundem, an illorum etiam cosmopolitanum naturam adsumserit? quo pacto naturalium myriades ὁλόγονα in suæ infinitæ personæ unitatem ad-

VIII

tionalium creaturarum eandem esse debere naturam specialem, eundem simpliciter scopum, eundem intellectus & virium gradum, eandem plane regulam, & cum iis eandem Dei oeconomiam, id quod VRNETIO *Lib. de Statu Mortuorum, & Resurgentium*, p. 296. sq. largiendum esse, puto: Verum, quum rationales supponantur creaturae, quibus per necessitatem tribui debeat natura moralis; ea, quae de differentia graduali, scopo speciali, oeconomia speciali &c. excipiuntur, ad tollenda dubia,

sumisset, quod absurdum est; an, adsumta humana sola natura, adsumserit virtualiter uniuersas creaturae naturam? Id quod diabolorum etiam redēptionem & *ad mortās animas* in saluo poseret, scripturae autem contradicit, quae, filium Dei angelos adsumisse, negat, angelicæ autem naturae humanam opponit, indeque homines fraternitatis jure a filio Dei donatos esse, docet *Ebr. II. 11-16.* Quis ergo hic questionum perplexarum, de religione tandem, eccllesia, & totoque statu Cosmopolitarum, finis aut numerus forer? Nimis quaeri, conqueruntur hypotheseos fautores: Verum, dicant ipsi, qua ratione illa dubia, exatributis diuinis, & natura creaturarum rationalium morali, ex operibus & oeconomia Dei, nobis patefactis, tandem e verbo diuino reuelato, sponte, immo necessario, deriuata, sint usque quaque praeteruehenda? Quis ergo Theologis, quod illa corpora mundi, planeticolis rationalibus orba concipere, quam illos dubiis se implicare malint, virtio vertat? B. Dn. REINBECKIVS, *in den Betracht. über die Augsp. Confession, P. I. Betracht. XIV. §. 33. 34.* de planetarum incolis hypothesin probabilibus argumentis ornat; ac difficultates adlaras nec tangit, nec remouet. Dn. JO. HEYN, *im Versuch über die Cometen Gc. p. 20. 23.* illos, qui huic opinioni non possunt accedere, appellat: *engbrüstige Leute, deren Hertz zu klein sey, diese Lehre zu fassen.* Ad obiectionem, quod Christus planetolarum etiam saluator esse debeat, frigide ita responderet, ut non tam soluat, quam, hypotheseos fauore, supprimat, dubia. Dn. JOACH,

bia, hypothesi adhaerentia, parum efficient. 2) A posse ad esse non valet consequentia; probabilitas hypotheseos a veritate ejus multum differt. Recens ergo agunt, qui haec talia reseruare futurae majori luci, pleniorique operum numinis sperrandae cognitioni malunt, quam, adserendo, dubiis semet ineluctabilibus immergere.

Temerarii interim, & in nostrum terrae globum injurii sunt, qui eum nimis extenuant & contemnunt: quasi corpus sit vilioris conditionis, in censem non veniat respectu reliquorum, exustus sit cometa, & aliquod caput mortuum, creatione *Genes. I.* a Mose memorata, quam particularē duntaxat esse, causantur, renouatum; ex quo illam faciem acceperit, non quae nunc conspiciatur, per diluuium ruinosa, sed quae ante diluuium obtinuerit, &c. (d) Esse: ein Nest voll Sünden, ein verachte-

B

BOELDICKE, im Versuch einer neuen Theodicee, pro hac hypothesi totus est; ut autem nodum plus fecerit, quam soluat, statuit, & possibile, & probabile esse, planeticos nec lapsos, nec malum apud illos introduxitum esse; Deum, sapientissima illorum, qui malum admisssi essent, praeuisione, in globo nostro solo eos probabiliter coagentasse, ut eadem esset cum omnibus Oeconomia specialis. Euentualiter tamen putat, dabilem etiam fore specialem quandam gratiae oeconomiam ratione lapsorum, si qui sint, planeticolarum. p. 134. 251. Ad LEIBNITIVM interim, qui hos beatos omnes existimet, prouocat. Pl. R. Dn. Past. JAC. KOCH, im rechtbeläuchten Buche Hiob, p. 795. sgg. Christum planeticolis etiam redemptorem datum esse, credit. De quo infra pluribus.

(d) THOMAS BVRNETIVS, in Theoria telluris sacra, integra P. I. & II. id agit, vt, terram, quo nunc est post diluuium statu, prioris ruinas duntaxat exhibere, & priori paradisiacae, nec magnitudine, tunc ad lunarem prope circulum extensa, nec superficie aequali, nec recto ad solem situ, respondere, demonstrat. GUIL. WHISTONUS, BVRNETIUM in po-

X

verachtlicher Ball, eine kleine Kugel, drin eine Hand voll Sünden im Mist und Eitelkeit wählen (e) reliqua autem corpora mundana a-
lere creaturas rationales nunquam lapsas, hominibus excellen-
tiores, & sanctiores. Eousque in sua conjectura, post LEIB-
NITIVM, processit PL. R. DN. JOACH. BOELDICKE,
im abermähligen Versuch einer Theodicee; tam vitem dicit nostram
tellurem, ut in ea sola peccatorum scenam aperiat, hominique,
adhuc integro, tribuat eine schwache Natur p. 285. (moralem in-
telligit, quod homo ab aliis cosmopolitis intellectus lumine, &
mentis viribus longe supereretur, facileque potuerit seduci) Di-
vinum etiam, lapsum, tantamque corruptionem permittendi,
decreatum ad solum humanum genus pertinere, immo, solos
homines, prae omnibus aliis mundicolis, in hunc usum de-
stinatos esse, existimat, ut eorum maxima pars, sua licet pro-
pria culpa aeternum damnetur, inferniat tamen ad exaltandum
feli-

tioribus secutus, in sua Nova Telluris theoria, adiuit praecipue
hypothesin, a veteribus Stoicis mutuaram, quod terra, in Co-
metarum olim numerum relata, conflagraverit, post autem re-
frigerata, relapsisque ex immani ærei vorticis peripheria ad
centrum atomis ac puluisculis, nouam faciem natæ sit; id quod
Moses, adhibito creationis vocabulo, summatim narrat, & die-
bus, qui paradisiaci, nempe rotidem anni, intelligentur, factum
esse, referat, integro vniuerso dudum ante existente. Huic
adstipulatur Dn. JO HEYN, in dem Versuch über die Cometen, toto
cap. I. III. IV. Ita vero putauerim, terrae totam superficiem
cinere & fauilla testam, summeque sterilem esse, debuisse.
Quum Dn. JODOC, LEOPOLD. FRISCH, Tr. Die Welt
im Feuer. Sorau, 1746. eodem modo renouandam, post seculi
consummationem, tellurem concipiatur; tristis erit renouatae tel-
luris aspectus, regionique circa Aethnae, & Vesuvii montes non
dissimilis. Absit talis exsucca Physica, & terra in sterilem ci-
nerum aceruum conuersa!

(e) JO. HEYN, in den Cometen-Briefen, pag. 141, 154.

felicitatis , beatitudinisque in beatis planeticolis sensum guttumque. Adeo enim magnum coelestium corporum , in quibus non , nisi felicissimi , ciues degant , numerum concipit , ut in eorum singula unum duntaxat relegat damnatum hominem , qui ejus globi incolis felicissimis innumeris , quantum ipsis gratulandum sit , extremae nimirum infelicitatis & felicitatis statu , opposite conspicuo , sua , hominis damnati , miseria , suoue suppicio , sentiendum p[re]beat : Quo exaltato tot myriadum beatorum cosmopolitarum felicitatis sensu , effici vult mundi perfectionem in toto , per imperfectionem partis mundi admodum exiguae . Numerum enim hominum damnatorum , quantus etiam sit in se consideratus , pro nihilo tamen esse ducendum , & in censum non vocandum , habito respectu ad longe plurium mundorum felicissimos incolas infinitae prope multitudinis , proportionis calculo instituto , velut numeri i ad 100000 . De his omnibus propria auctoris verba adlegare velle , pagina vetat . Interim benevolentem lectorum ablegamus ad libri excitati pag . 143 . 251 . 263 . 345 . sqq . 351 . Quid contra ista omnia monendum sit , prudens quiuis , & rei idoneus arbiter , facile intelliget . Hujus autem , ea excutere , nec loci est , nec instituti . Hypothesin sub examen vocavit S . R . DN . NICOL . FRID . HERBST , Superint . adj . Mindensis , in der Pruefung , des , in dem abermahligen Versuch einer Theodicee , enthaltenen Lehr Gebaude , vom Ursprung des Boesen : posteaque In der abermahligen Pruefung der Boeldickschen Theodicee 1749 . Vlli Theologo suo sistente se probasse Dominum BOELDICKE , haec tenuis non acceptimus . Quemadmodum autem immensum tot mundi globorum incolarum rationalium , nullo malo infectorum , numerum nullo argumento , sed sola sua conjectura stabiluit ; ita de nostro terrae globo , deque genere humano abiecte satis , neutrliquam vero cum Scriptura , sentit .

Quo jure & fundamento eleuat in homine creationis gratiam ; quem , praeter f. angelos , alios mundi ciues , imagine diuina dotatos , immo majoribus & ad bonum viribus , & intellectus

XII

leatus lumine ornatos esse, in Scriptura legatur nusquam? Quo iure de permittendo physice lapsu diuinum decretum, si plures sunt mundicola rationales, ad homines solos restringit? praeferimus, cum ipse, rationalem creaturam absque arbitrii libertate creari non potuisse, recte fateatur. Libertate autem num soli angeli & homines, non vero planticolae etiam, potuerunt abutis? Atqui, angelos multos, pariter atque primum hominem, lapsos esse, constat; probatos a DEO esse, an libertate recte utivellent? constat iterum. Quare vero reliqui cosmopolitae non debuerunt eandem probationem sustinere? Hi ergo supra angelos extolluntur; & Dn. BOELDICKE arcanum quoddam DEI, humanum certe genus eventuali miseriae, praecille aliorum globorum incolis, immo in salutis horum maiorem exaltationem, exponendi, absolutum decretum, vel inuitus, concedere tenebitur. Probetur, dari hos cosmopolitas! Probetur, creatione illos homine praefrantiores esse! Probetur, esse saltam aequales homini! de quo Scriptura testatur, quod singulari quasi sapientiae consilio DEus illum in suam condiderit imaginem, Gen. I, 26. 27. Ingratitudinis erga summum creatorem, de hominis felicitate infinite promeritum, nota se commaculare homo videtur, qui, sola conjectura duetus, proprium genus vilipendere, & cosmopolitas, de quibus, an, & quo statu existant? nescitur, eidem anteferre audiat. D N. I O. HEYN, qui WHISTONI paradoxa repetere ubique & ornare gaudet, scribit, in den gesammelten Briefen von Cometen, Br. VI, p. 152. Es ist wohl gewiss, und unwidersprechlich, dass die Menschen nicht die beste, und vornehmste Art Creaturen in der Stadt Gottes sind. Ich weiss nicht, ob es der Eitelkeit des irdischen Sinnes, oder der Schwachheit des Verstandes auf die Rechnung zu schreiben sey, wenn einige Leute noch immer vorgeben duerfen, dass der Mensch die edelste Creatur waere, um welcher willen aller Himmel Himmel da stunden: Da doch kein Grund zu solchem Vorgeben vorhanden ist, den nicht auch ein ehrlicher Maulwurf, der in seinen finstern Gaengen zu dencken anfaengt, für sich und seine Art ansuehren koennte.

Et

Et paulo post , ex redēptionis grātia nō dignitatem , inde ad homines redundantem . sed id potius concludit : Dass die Menschen die elendesten , jaemmerlichsten , vnd allerverdorbensten Einwohner der Stadt Gottes , nicht aber die vornehmsten seyn ! Der schoene Einfall , pergit p. 154. Omnia propter hominem ! ist in ienen Zeiten zum Vorschein gekommen , da man die Sterne fuer gueldene Zwecke , und den tiefen Luftkreis fuer ein blaues Tuch geladen hat . Verum , de misera hominis corruptione accidentali non quaeritur ; sed , an excellentiori ipso , secundum rectitudinis statum spectato , dentur , praeter angelos , mundicolarie alii rationales , iisque nulla labe infecti ? Hi , si existerent , hasque nostratium adulaciones pernocecerent , ne ad superbiae peccatum primam forte tentationem experirentur , vereor .

Sed , ex pretiosissimae & gratiosissimae redēptionis argumento , captata ex hoc natali IE S V C HRISTI festo occaſione , despectum adeo globum nostrum terraueum , contemnūque , prae fictis mundicolarum & planeticolarum cohortibus , hominem , paucis adhuc vindicabimus . Sint alia mundi corpora totalia , nostro terrarum orbe nobiliora , sint ex auro & argento compacta , sint e solido adamante , rubino , aut smaragdo , quod HONORATVM FABRI putasse , refert I O. CHRISTOPH. STVRMIVS , Phys. conciliari p. 157. seqq. fabricata , ferant fructus , nostris terrestribus nobiliores , habent incolas , cuiuscunque formae , & ignotae nobis conditionis ; globus tamen noster , suo fini respondens , non solum majestatis , sapientiae , & potentiae diuinae speculum manebit , & opus nunquam satis peruestigandum ; sed etiam a summo conditore , qui ad humile respicit P. XCIII , 5. prae omnibus mundi corporibus globisque , insigniter est nobilitatus . Non enim solum hominem , ad suam imaginem conditum , ei incolam dedit (f) qualem , aut similem , aliis mundi globis dedisse , non

B 3

liquet ;

(f) Hominem , statim ab initio creationis suae , terrae incolam , & paradisum non extra nostrum terrae globum , fuisse , scripturae littera , & creationis historia testatur . Gen. II. 7. seqq. 19. 20.

liquet; Verum etiam gratosissimam, specialissimamque suam praesentiam (quod, in vlo alio mundi globo, ejusque incolis contigille, itidem probari nequit) benignissimis adparitionibus, majestaticis manifestationibus, & institutis cum hominibus colloquis clementissimis, in terrae globo frequentissime exseruit. Quod, de adparitionibus diuinis, thema S. R. & doctiss. D.N. HENRICVS SCHARB AV; Pastor apud Lubecenses longe meritissimus, Vir litteratisimus, maiori opere, cuius haud ita priudem ad Exod. IV, 24 lqq. in Epist. gratul. ad S. Venerab. Dn. D. JO. GOT TL. CARP ZOV IV M, prolusionem dedit, dignissime persecutum, propediem euulgabit.

Longe autem majoris, ab incunabulis mundi non auditae, nec vlli rationi cogitatae scena, cuius & sancti angeli spectatores esse cupierunt i Pet. I, 12, theatrum DEus elegit nostram tellurem. Filius enim DEI, aeterna Patris substantialis Sapientia, lust in orbe terrae, deliciaeque ejus fuerunt cum filii hominum. Prov. VIII, 31 lqq. Descendit e throno gloriae totius mundi creator Ia. L. 3, in terram, e terrae ciue, Maria virgine, adsumsit humanam naturam, terricolis, quos fratres adscivit, in omnibus, excepto miserae eorum corruptionis statu, exacte similis factus, Ebr. II, 14. 17. terrae incola ipse, terrestribus productis nutritus, inter terricos domicilium fixit, in terra obambulavit, terricolis salutis viam commonstrauit, in terra magnum redemtionis opus peregit, collegitque sibi, misso Sancto Spiritu, verbique ministerio adornato, inter terricos ecclesiam sanctam, suo sanguine partam, ad seculi consummationem perduraturam, cui nec praeualebunt portae inferni. Math. XVI, 18. Dicant

Caballistae, & JAC. BOEHM, in suis scriptis passim, paradi- sum in superiori quadam coeli, eaque amoenissima, regione quaerunt, & dehinc, postquam peccauerit, hominem in terram detrusum esse, volunt. Videntur nonnulli Patres, quos excitat BVRNET IVS, l.c. L. II. c. IX., ut suam, de terra paradisa- ca, ad lunae regionem protensa, hypothesin commendabilio- rem reddat, in simili opinione fuisse.

Dicant Planetophili , an horum portentorum ullum in reliquis
 mundi orbibus acciderit , vel , accidisse , vlo queat iudicio con-
 jici ? Rationem dicant ; cum terrae globus minimus sit , homo-
 que inter creaturas rationales , debeat esse fortis prope insimae ;
 quidni haec in majore nobilioreque aliquo mundi globo , &
 in gratiam excellentioris creaturae , contigerint ? Harum enim
 nullum genus a bono defecisse , aut deficerre potuisse , si & na-
 turae moralis indolem , & triste tum angelorum , qui lapsi sunt ,
 tum hominum , exemplum spectes , nullo pacto verisimile est ; nisi
 cuidam absoluto DEI decreto permisso , angelorum hominum-
 que lapsum velis tribuere . Atqui , pro hominum salute proprii filii
 sanguinem , toto vniuerso non pendendum , $\lambda\theta\circ\text{ov}$ DEus dedit.
Aet. XX, 28. Ebr. IX. 12. Filium vniigenitum iis dedit sacer-
 dotem expiantem , Prophetam docentem , Regem tutantem .
 Homines , terricolae , gloriabantur : *Nobis puer natus , filius nobis
 datus est ! Ies. IX. 16. Iehouah Zidkenni , Ier. XXXIII. 15.* Pacem ,
 non lunae , non Marti , Saturio , aut quicunque fuerit , alii
 planetae , sed terrae ; beneplacitum hominibus , non vllis aliis
 cosmopolitis , angelorum chorus nuntiavit *Luc. II. 14.*

Sub aduentum Messiae DEus , se coelum terramque commo-
 turum esse , ait Hagg. II. 7. Putasne , $\delta\mu\lambda\sigma\gamma\mu\epsilon\nu\omega\sigma$ magnum ,
 DEI , in carne manifestati , mysterium i Tim. III. 16. sicut
 terram , ejusque omnia , per tantum euangelii praedicationem , gen-
 tes commouit , commouisse etiam , & ad feruidas laudes exti-
 mulasse in coelis cunctos angelorum choros , ordinesque ? Is
 enim hominibus , angelorum conseruis , nascitur , quem omnes
 DEI angeli adorant *Ebr. I. 6.* quem , & vniuersi totius , & suum ,
 creatorum agnoscunt , *Coloss. I. 16.* cui etiam , jacenti in prae-
 sepio , infantulo , flexis quasi poplitibus , & praefrito homagio ,
 cum gudio ministrant , consiliumque DEI de hominum sa-
 lute , in eius incarnatione , devoti venerantur . Non tamen
 angelicam $\delta\lambda\gamma\omega\sigma$ naturam , sed humanam , qua Christus *Semen
 Abrahae* appellatur , *Ebr. II. 16. conf. Gal. III. 16.* adsummis ;
 certissimo documento , hominum laporum , non damnatorum
 ange-

XVI

angelorum, illum esse mediatorem & sospitatorem ; quamvis hi illis essent natura & creatione excellentiores. Quod autem filius Dei non adsumsit, illud nec redemit ; quem satisfactio vicaria, tam aeterna, quam passiva, non, nisi in natura, actionibus, & passionibus illius creaturae, pro qua satisfaciendum erat, si quidem alias non datur vicarius, & imputationis reciprocæ fundamentum, fieri potuerit. Quod si ita non esset comparatum, quare filius Dei non angelicam potius, quam inferiorem, humanam nempe naturam, adsumserit? ratio reddi potest nulla.

Haec, quamvis ultra seculi dimidium in ecclesia nostra tandem sint satis disputata, mirum est, Apocatastaseos diabolorum patronos tamen eadem semper chorda oberrare. Magis autem miror, pl. Reu. Dn. Pest. JAC. KOCHIVM, in edito suo ad librum Jobi commentario, cui titulus: *Recht beleuchtetes Buch Hiob, ad cap. XXXVIII, comm. 7.* argumentum modo dictum, & ex Ebr. II, 16. desumptum, quod etiam B. LVTHERVS passim vrget his verbis: *Hätte Christus wollen einer andern Creatur helfen, so wäre er dieselbe Creatur worden!* eneuare, & reicere. Etiam si enim diabolorum restitutionem, ex ratione immiedicabilis malitia, & a Deo prævisae communis infidelitatis, qua, si vel maxime Christum iis Saluatorem destinasset, eum tamen fuissent simpliciter repudiatu, omnemque ad fidem initiatione excusluri, pernegare videatur; tamen, adserens, Cosmopolitarum seu planeticularum, si peccauerint, Christum aequre, ac humani generis, redemptorem esse posse, prouocat ad loca scripturae, in quibus Apocatastastæ præsidium maximum quaerunt, Coloss. I, 20. Apocal. V, 13. Quod autem pro cosmopolitarum, facta per Christum, redemptione vallet, id, ex eodem medio termino, etiam valebit pro diabolorum, per Christum, redemptione. Destructo quoque supra dicto canone theologico, velut arguento contra diabolorum restitucionem præcipuo, vietas Dn. KOCHIVS apocatastaseos defensoribus manus dare, facile cogetur. Quam enim, cum R. Dn. IO. FRID. WACHSMANNO, in der Untersuchung der Frage: *Warum Gott den gefallenen Engeln keinen Erlöser gegeben habe?* simpliciter praepo-

praeponit praeuisam Deo diabolorum incredulitatem, omnem
 Numinis misericordiam, Christique $\Delta\mu\vartheta\sigma\nu$, omnino elusuram
 ac frustraturam; quam etiam, in praefatione ad dictum WACHS-
 MANNI tractatum, S. R. Dn. Abbas SCHVBERTVS sententiam
 confirmat: 'ea coniectura duntaxat, & opinio est, cui ma-
 gnam quidem probabilitatem non negabimus; quae tamen &
 oppositi formidinem admittit, & Scripturae testimonio desituitur.
 Nunquam quoque eam aeterni euangelii defensores, ad-
 hibitis in subsidium, pro sua sententia tuenda, praecise illis, ad
 quae Dn. KOCHIVS se recipit, scripturae locis, formatisque inde
 non infeliciter argumentationibus, concedent; sed, manifesta
 eam principii petitione laborare, clamabunt. Sane, quod ho-
 minibus Deus indulxit, e miseria eluctandi, summum, immo
 extremum, quod nulla ratio potuisset antecedenter inuenire,
 aut coniucere, remedium, merae est, puraeque gratiae, Ephes. II.
 4. 5. 7. 8. Rom. V. 6. & commiserationis Ezech. XVI. 6. Luc. I. 78,
 hinc liberrimae voluntatis, non iustitiae, aut aequitatis. (g).

Quod

(g) S. R. Dn. D. IO. PHILIP. FRESENIO non possumus adstipu-
 lari, quando, in der merckwürdigen Nachricht, von der Bekehrung
 eines Naturalisten, suum cum hoc Viro colloquium, quo is ad la-
 niorem mentem, fidemque reductus est, sistens, p. 60. ita loqui-
 tur: Wenn Gott so viele Millionen Menschen, die alle Sünder wor-
 den sind, ehe sie was von sich wüsten, schlechterdings verdammte,
 und ihnen, in ihrem Sünden-Elend nicht zu Hülfe käme; so wäre
 es höchst unbillig. Weder seine Güte, Liebe, und Barmherzig-
 keit . . . noch auch seine Gerechtigkeit kan solches zugeben. Sie läßt
 keinem Sünder zu viel geschehen. Wir würden aber würcklich zu
 viel gestrafft, wenn wir ohne Hülfe, und Gnade gelassen würden,
 da wir unser Verderben für unsre Person nicht eingevuilligt ha-
 ben. Dieses kan die Vernunft gar deutlich erkennen. Cum dia-
 bolis rem aliter comparatam esse, hos speciem suam non propa-
 gare, in peccatum autem omnes confensisse, quam etiam bene-
 sit, in obedientia creatoris stare, expertos esse, ait, quare iis non

C

XVIII

Quod remedium ergo, si ex eadem libertate, iustissimaque, apostasiam horum angelorum aeternum vindicandi, voluntate, iis negavit; quis sanctissimum iustissimumque Numen adcubabat, aut, rectius, si eos in gratiam receperisset, fecisse, pronunciabit? Non placuit Spiritui sancto, ipsum apostasias malorum hodie angelorum actum, eiusue circumstantias, aut obiectum speciale, in sacro codice nobis reuelare. Quae vero futor ille Goerlensis in Aurora, & in reliquis suis scriptis passim, de diabolorum primo peccato profert; nimurum incensione (per superbiam maxima.

fiat iniuria, &c. Tandem concludit: Betrachten wir das menschliche Geschlecht, wie es seine Sünden von den ersten Eltern geerbet: So sehe ich nicht, wie Gott nach seinen Eigenschaften der Gerechtigkeit, und Barmherzigkeit dasselbe so schlechterdings verstoßen konte? Ich habe diese Materie in meiner ersten Betrachtung von Christo weiter ausgeführt. Duræ sane, nec Theologiae conuentae, locutiones, Scripturaræ item stilo non adtemporatae! Quis, Deum, si nos orans reiecerisset, iniquitatis, & iniustitiae postulasset? Rom. IX. 21. Certe, nisi nostras, omnium, poenas summa iustitia efflagitasset, tam horrendae pro nobis poena non fuissent filio Dei infligendae. Stante Du. D. FRESENII argumento, Proroplatae, quum in peccatum consenserint, a redemtione fuissent excludendi. Si vel maxime miseriam tot myriadum, ab Adamo descendentium, inferno, antequam nascuntur, addicendorum, Deus, quod utique fecit, respexit; id tamen fecit liberrimo gratiae & miserationis affectu, ne riquam veritus, ne cuiusdam iniustitatis, aut iniustitiae notam secus contraheret. Quum tandem hominum adulorum nemo, absque actuali sua, & propria, culpa, & in peccatum, contra rationis lumen, cordique inscriptam legem Rom. II. 15. consensu frequentissimo, Rom. III. 12 periufferet; ad solos infantulos, rationis vnu destitutos, in peccatum non consentientes, Iona IV. 11. prematura tamen morte extinguedos, argumentum Viri applicari ad summum posset. Ergo his solis duntaxat redemtionis gratia fuisset, ex aequo, decernenda.

maximaque, qua pollebant, potestatis abusum) fatis nitrifata in sua ditione, quounque iam patet immensurabile Vniuersi, Luciferi imperio tunc subiectum, spatium, hos angelos reliquorum angelorum yaſtissimos orbes, immo ipsum DEI thronum, voluisse subigere, & sine meta dominari; tales sunt, quae partim sensu omni carere videntur, partim S. Scripturae ignorantur, partim vero, ante hunc mundum, quem ex prioris ruinis DEum creasse, BOEHMIVS contendit, alium praecedentem intellectualem, cum Cabballistis, supponunt per consequens historiae creationis Mosaicae Genes. I, aperte contradicunt. Quapropter, si lapsus Diabolorum, malitiaque & pefsimae intentionis eorundem notitiam haberemus specialiorem; constaret fortassis etiam, quae iustissimum DEum, ut omni eos gratia praeteriret, permouerit ratio? Nunc autem ultra conjecturas non adscendimus.

Quando vero DN. Past. KOCHIVS, l. c. omnibus coeli corporum incolis naturam, humanae valde similem, tribuit, ex aequo lubrico fundamento, quia illa corpora, illi planetae, secundum obſervationes, per tubos opticos institutas, telluri nostrae magna similitudine respondeant (h); quando tandem inde, Christum eo ipso, quod humanum naturam adsumferit, illis planetarum quoque incolis cognatum, eorumque, si peccauerint, salvatorem esse posse, concludit, coniecturis coniecturas superstruit, & cum Apocatastaseos fautoribus idem cornu in-

C 2

flat.

(h) Homines, planeticolas esse, ex eodem fundamento concludit L. B. de WOLFF, in den Abschren der natürl. Dinge P. I. cap. VI. §. 67. Magis placet Experientiſſ. Dn. D. IO. GOTTL. KRVEGERI in ſentiendo modestia; licet enim, in der Natur-Lehre, P. I. C. 13. §. 633 p. 842. rationalibus incolis planeras deſtitui, non audeat adſertere, tamen, homines esse, negat, addens: dieses ſtritte mit der Mannigfaltigkeit, die die Natur in ihren Werken beobachtet. Concludit, lieere nobis planeticolas, quibus velimus, formis & figuris conceperre, donec verius de iis conſtriterit.

XX

flat. Hi enim, humanam naturam microcosmice vniuersam creaturam referre, & praeципue quoad animam angelicae naturae analogam esse, indeque, Christum ad angelos etiam reprobatos pertinere, pariter contendunt. Vix ergo ouum ovo similius, quam DNI KOCHII, & Apocatastatisarum illationes: Coniecturis ambae nituntur. Quodsi autem reuelatis doctrinis aliquid per coniecturas adsuere licebit, totam aliam, eamque coniecturalem, nudisque possibilitatibus nixam, breui tempore habebimus, suppressa argumentativa & biblica, Theologiam: Quod absit per omnem modum! Quum interim illi DNI KOCHII planeticolae & a nobis hominibus, & a se inuicem, per principium indiscernibilium, aut forma externa, aut viribus, aut alia quadam essentiali determinatione, immo tota, ni fallor, specie, differre debeant; redit tamen quaestio: Quod si omnium horum unicus mediator & sospitator Christus esse potuerit? quidni incolarum Martis, Lune, Saturni, aut vilius mille aliorum planetarum, quare humanam, sorte & perfectionibus inferiorem, naturam adsumferit? Quidni in Marte, Luna, Saturno &c. tantam suae incarnationis (si creature ibi, sicut nos, carnem gestant) scenam aperuerit? Quare praeceps φιλανθρωπος DEus dicatur? Tit. III, 4. Deut. XXXIII, 3. Quare Christus, in nostro orbe natus, cum hominibus vixerit, iisque suam, velet unigeniti a Patre, gloriam conficiendam dederit? Io. I, 14.

Haecce omnia, summum in coelis Numeri, filii sui misione, & hunc, gratiosissima sua σκηνώσι, globum terraqueum pre aliis mundi corporibus totalibus; hominem praे aliis, si existunt, cosmopolitis rationalibus, nobilitare, & euhere dignatum esse, demonstrant? Nonne de nostro orbe, facta eiusdem cum mille aliis comparatione, idem dici potest, quod de viliore tribus Iudei oppido, Bethlehem? Mich. V, 1. de homine autem, instituta eius cum planeticolarum mille generibus comparatione, idem, quod Moses de populo Israelitico, cum reliquarum orbis gentium multitudine collato, ait Deut., X,

14, 15. VII, 7. 8. Nonne summo, & liquido iure gloriamur, quod Christus noster fit, nos vero simus de carne, & sanguine eius? Eph. V, 30. quod sit nostrum caput Ephes. I, 22. noster Gōl, Iob. XIX, 25. Ebr. II, 11. noster frater Iocann. XX, 17. Ebr II, 12. & Rex, nobis, quam vlli creaturec alii, sicut olim tribui Iudae rex Davides, propinquior? 2 Sam. XLIX, 42. Quod enim inter nos voluerit σκηνή, contestatum, & de facto verum est. De hac autem σκηνῇ perinde est, an ea praedicetur, quod volunt non pauci Theologi, & Exegetae, respectu sigillatim habitu ad incarnationem, per quam humana Christi natura σκηνή illa est, in qua habitat tota plenitudo deitatis σωματίου Coloss. II, 9. & in qua sacerdotale suum officium Christus, immolando, & expiando peregit, Eb. IX, 11, quae destruebatur quidem morte, instaurabatur tamen per resurrectionem gloriosam, Io. II, 19. 21, caeterum longe sanctior & excellenter, quam tabernaculum V. T. typicum, manu fabricatum ^{conf.} HVG. GROTIUS ad Io. I, 14. & BALD. WALAEVM in Comment. ad Libros N. T. historicos, ad l. c. An vero haec σκηνῶς habitationem, seu commemorationem filii DEI in terris, inter homines, externam, qua non adparuit duxat, aut peregre vixit, sed domicilium in his terris fixit, exprimere adseratur? Prior sententia quibus placeat, vid. in B. DN. I. C. WOLFII Curis Phil. Crit. in N. T. Libb. Hist. ad b. l. & B. DN. MICH. LIELIENTHALII Bibl. Archivar. N. T. ad b. l. Posteriorem praeferit S. R. DN. D. HEVMANNVS, in der Erklaer. des N. Test., dritt. Theil, ad b. l. scribens? Iohannes will nichts anders sagen, als: Christus habe die Menschheit nicht auf eine sehr kurze Zeit angenommen; sondern sey als ein Mensch lange unter Menschen geblieben, und habe die Welt zu seiner Wohnung gemacht. Andere Geheimnisse, welche etliche Ausleger in dem Worte σκηνῆ suchen, kan ich in demselben nicht finden? Vtrumque autem vna commode stabit. In adsumta humana natura, eeu Deitatis templo, & habitaculo, DEI filius terrae cuius fuit, & inter homines habitauit, natus Bethlehemi, hospitans in Aegypto, redux in urbem Nazareth, commorans in vrbe Capernaum

XXII

circumambulans in terrae iudaicae urbibus, & confiniis, notis-
simus suo tunc populo *Io. I, 11.* tanquam natus in paupertate,
educatus in pietate & sapientia, obediens parentibus, inuenis
sine labore, sine desidia. (leui stilo *Comes de ZINZENDORF*
eum adpellat: *einen Zimmer Jungen, Zunftmaessigen Zimmer Gefel-
len &c.*) Vir exemplaris, Propheta magnus, a D E O misflus,
Docttor disertus, & *sḡe φιλόδοξος*, miraculorum patrator, per in-
uidiam adscusatus, a Pilato iniquissima crucis morte adfectus.
A suis autem fidelibus, quorum familiariore conuersatione vñsus
est, *Act. X, 41.* cognitus fuit: DEI filius, mundi saluator, in-
fernii mortisque victor, &, eleutatus in coelos, rex gloriae, &
Dominus supra omnia. Neque, peracta hac in terris σωτηρίᾳ,
Deitatis σωτήρ, humanam suam naturam, deseret, vñquam,
aut se ea abdicabit: Sed sedens nunc, illa vestitus, & qua ho-
mo est, ad dextram sui patris, in infinitae suae personae vnitate
retinebit sine fine; fratres suos autem, homines fideles, regni sui
non modo *cōhaerēt̄ Rom. VIII, 17.* verum etiam *adseffōr̄es* constituet
clementissime. *Luc. XXII, 29. Apocal III, 21.* De illis, si qui sunt,
planeticolis, & cosinopolitis, qui paria velit adfirmare, sane is
foret, & in fingendo audacissimus, &, in depraedicanda diu-
ina, quae ipsum, suosque in terra globo conciues, tantopere
cohonestauit, clementia, negligentissimus.

Ex iis, quae hactenus dicta sunt, intelligetis, *Cives Ho-
noratissimi!* quantum sit, & quam excelsum, quod nobis, filii
sui incarnatione, DEus exhibuit, beneficium, quantusque inde
honor nobis, quanta nobilitas adcesserit? intelligetis, de iis o-
mnibus, cum cordis iubilo, nobis esse gratulandum: D E O
autem miseratori grata, & deuotissima mente, psallendum. Laeto
hoc festo, qui tepidis, nec intime calentibus praecordiis, fine
gustu, sine gaudio, angelicum nuncium accipit: *Vobis hodie
saluator natus est! Luc. II, 11.* is sane christiano nomine, immo, vt
homo sit, indignus, non tam ad incognitos planeticos, quam
potius ad greges, & consortia brutorum, relegandus est. Quan-
tane

tane, in Gallia, gaudia sunt nuper peracta, quantaene festiuitates, vbi cunque locorum intererat, paratae? nato haud ita pridem Burgundiae Duce, spe Gallicae nationis, futuro aliquando regni herede. Concepta de Principibus infantibus spes non raro eluditur tempore; adulti saepe alii reprehenduntur, quam sperabantur infantes & pueri. Nobis natus est rex, dominus de coelo, *et nobis*, infans plenus gratia, ac veritate *Io. I.*, 14. cuius, quot nomina *Is. IX.* 6. tot summa attributa; cuius sub regimine pax sine fine restauratur, iustitia floret, subditorum felicitas vigeat, hostes debellantur; et qui, vitam pro nobis ponendo, amoris sui nunquam cessantis, pignus nobis dedit, quod nemo nobis dubium reddet, nulla vis eripiet. Quantone maiora nobis parta sunt gaudia! quantone iustiores nobis peraguntur festiuitates! *Pf. LXXXIX.* 16. seqq. nullo saeculo finiendae! Diuus LVTHERVS, pro eo, quo ferebatur, spiritu heroico, haec omnia pathetica oratione persequitur in concionibus, hoc natali Christi, ad populum habitis; *In der Haus-Poſtille*, quam recudit S.R. Dn D. WALCHIVS. 1738. Felicitatem humani generis, quae ei contigit ex incarnatione Christi, non minus ad viuum pingit, quam ad gaudium spirituale corda mouet. Ad priorem iuste reputandam sicut p. 98. traditiunculam ex papatu sequentem: *Es sey der Teufel auf eine Zeit in die Kirche zur Messe gekommen, und da man im Patrum, oder Symbolo, die Worte gesungen habe: Et homo factus est, und die Leute nicht niedergekniet, habe er einem aufs Maul geschlagen, ihn gescholten, und gesagt: Du grober Schelm schämest dich nicht, dass du siehest, wie ein Stock, und nicht fuer Freuden niedersäßst? Wenn Gottes Sohn unser Bruder worden wäre, wie der wäre, so wüsten wir nicht, wo wir fuer Freuden bleiben sollten!* Ad posterius autem exercitandum, inter alia: *Wer solches, ait, recht fühlte, und gläubete, der sollte für Freuden nicht lange leben können. Diese Freude ist so gross, dass, wo sie in ein menschlich Hertz siele, so müste Leib und Seele von einander. Et postea: Ein jeder forschte sich; hat er keine Freude davon, so wisse er, dass er ein unfeiliger, und verfluchter Mensch sey!* Pariter autem, quantopere Deo, & hospitatori nostro, ad gratiam mentem, vitae

XXIV

vitae renouatione, opere ipso declarandam, obligemur? gra-
uiter docet: *Welcher sich, inquit, dieser Predigt nicht bessern, und
froemmer werden will, dafs er Gott Vlobe und dancke; Wem dieser
Malvasier nicht schmecken, und dies Feuer das Hertz, nicht erwärmen
will, dafs er gegen seinen Nachsten freundlicher, und holdseeliger
werde; den mag der Richter und der Hencker frömmher machen; sonst
ist ihm nicht zu helfen:* Cantate ergo, o Cives Studiosi! Iehouae,
exaltate nomen sanctitatis eius! Animo salutis cupido audite
praeconium Verbi euangelici! Offerte Iesulo, eiusque quieti,
corda vestra, ab omni iniuitate repurgata, fideique plena! Ca-
vete vobis a temulentia, discursationibus, petulantii, mori-
busque a pietate remotis! Tansfigite sacrum hoc festum fan-
ctis meditationibus, dateque operam, ut, qui natus vobis est,
benevolentissima Numinis destinatione Saluator, vester etiam
fiat salutari adlicatione; vtque redametis illum, qui vos amauit
prius! **I. Io. IV. 19.**

O Iesu paruale! Opuer optime!

O princeps gloriae! Trabe me post te!

P. P.

SVB SIGILLO PRO-RECTORALI,
FÉRIA, I. NATIV. CHRISTI,

A. O. R. c15 I5 CCL. d. xxv. Decembr.




ad 28.

OO A 6416

R

Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

RECTORE ACADEM. MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE,
AC
DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
PRINCIPE HEREDE MECLENBURGICO,
VANDALORVM, SVERINI, AC RACEBVRGI, COMITE SVERINI,
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE
DOMINO,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

FESTVM NATALE
SOSPITATORIS NOSTRI IESV CHRISTI
INDICIT,
CIVIBVSQUE ACADEMICIS,
DE GLOBO NOSTRO TERRAQUEO,
PRAE
OMNIBVS MVNDI CORPORIBVS TOTALIBVS,
ΣΧΗΝΩΣΕΙ FILII DEI, NOBILITATO,
PAVCA COMMENTATVS,
PIE, DEVOTEQVE CELEBRANDVM,
EX OFFICIIS RATIONE COMMENDAT
ACADEMIAE
PRO-RECTOR
IOAN. HENRICVS BECKER,
S. S. THEOL. D. ET P. P. O.

ROSTOCHII,
TYPIS IO. IAC. ADLERİ, SERENISSIMI DVCIS AVLICI,
& ACADEMIAE TYPOGRAPHI.